



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011857X**

§. 97. Pontificis consilium de instituendo Ordine militari.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1555.

§. XCVII.

*Pontificis consilium de instituendo Ordine militari.*

*Paul. Sarp.  
hist. Conc.  
Trid. l. 5.  
p. 373.*

Referunt nonnulli, quod summus Pontifex inter varia, quæ animo designabat, etiam instituere voluerit militarem Ordinem centum veluti equitum, ex hominibus cujuscunque religionis, aut conditionis deligendorum, qui sub ipso tanquam duce, ac capite militarent. Horum singulis pensionem annuam quingentorum aureorum destinaverat e Camera Pontificia dependendam, hac lege, ut solemni, firmoque juramento fidem suam Pontifici obstringerent, neque aut altiore dignitatis gradum conscenderent, aut redditus ampliores possiderent; tantum vero liceret iis in Cardinalium Collegium propter bene merita cooptari, ita tamen, ut societatem eam non dese-

*cutus est dives, & omnes admirantur: Sylvius de moribus Germ. in resp. & epist. Martini Mayr Cancell. Mog. Observent sibi hoc illi, qui pro gentis suæ vitio adeo compto apparatu delectantur, ut etiam Religiosos Mendicantes, nudipedes, rudibusque pannis vestitos tanquam sordidos aspernantur, licet forte aliam de ex nobili stirpe nati Regulares, hoc incultum vitæ genus unice ex amore Christi amplexi fuerint &c.*



deserant. Ex iis folis volebat & Nun-  
tios suos eligi, & negotiorum Gestores,  
& Civitatum Præfectos, & Legatos, at-  
que summos omnes Sedis Apostoli-  
cæ ministros. Quam in rem jam no-  
minati erant plerique, Romæ literis be-  
ne exculsi, & ipsi Papæ probe cogniti,  
atque ad eundem honorem alii jam ad-  
spirabant.

Ceterum tantopere alienus erat a  
quodam in suum sanguinem affectu,  
quem *Nepotismum* vocant, ut nunquam  
quempiam sibi sanguine junctum, nec  
duos Nepotes suos, imo nequidem suum  
fratrem Romam vocari permetteret,  
quapropter horum nullum, quamdiu  
Pontificia dignitate fulserat, unquam  
ultra conspexit, atque etiam semel ab  
amicis rogatus, an eis in palatio domi-  
cilium esset instruendum? respondit:  
*Quid illis cum Palatio? id ne patrimonium  
eorum esse judicatis?* Insuper quondam  
cum Mantuano Cardinale de Pontificii  
muneris onere differens inter alia sub-  
junxit: *Procul dubio scio optimum esse,  
pauca dicere, multa vero facere, plura ta-  
men ideo polliceor, ut ita fide obligata, a  
præclare cæptis resilire, aut a recta via,  
quam semel destinavit, cursum inflectere, me-  
mor promissionis erubescerem.*

Sæcul XVI.  
A.C. 1555.

Ciac. tom. 3.  
p. 801. & 802

§. XCVIII.

M

Hist. Eccles. Tom. XLII.